

MEMORIAM

VIRI SUMME VENERABILIS ET PERILLUSTRIS

CAROLI GUILIELMI JUSTI,

ORDINIS LEONIS AUREI HASSIACI PRAEFECTI SECUNDAE CLASSIS, PHILOSOPHIAE AC THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII, COETUS LUTHERANORUM PER HASSIAM SUPERIOREM SUPERINTENDENTIS, AUGUSTISSIMO ELECTORI IN REGIMINE ET SENATU ECCLESIASTICO A CONSILIIS SUPREMIS, AD AEDEM PAROCHIALEM PASTORIS PRIMARII, REL.

ACADEMIAE MARBURGENSIS NOMINE ET AUCTORITATE

CIVIBUS


COMMENDAT

ERNESTUS LUDOVICUS THEODORUS HENKE,

THEOL. D. ET P. P. O.

MARBURGI MDCCCXLVII.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Quum non amplius consentaneum visum esset senatui academiae nostrae, ut antiquo more de quovis membro eius vita defuncto singularis libellus conscriberetur, decretum est nuper, ut quorum collegarum per mortem nobis ereptorum memoria civibus et posteris publico programmate commendanda esset, singulari in posterum S. C. definiretur. Ita hoc ipso anno rogante senatu de beato Endemanno nostro insigni pro more suo dicendi libertate et elegantia scripsit clarissimus collega Theodorus Bergk, Philologiae P. P. O. Et quum summum academiae magistratum abdicaturus ego nuper die XVIII. Octobris S. V. senioris academiae hoc ipso anno defuncti memoriam revocare conatus essem, ea benevolentia a collegis audita est oratio, quae severis iudicibus nunquam satisfecisset, ut dignam haberent, quae loco programmatis publici, tanti viri memoriae imprimis debiti, typis exscriberetur. Veniam simul quam petere meum erat impetravi, ut quae in oratione sub prorectoratus finem deproperata uberius et accuratius ob argumenti gravitatem enarrari et exponi debebant, ea immutare et emendare liceret. Ad quod tamen negotium quum iam me accingerem, deprehendi aut novo scripto opus esse, quod nemo a me postulaverat, aut in ipsa, quae collegarum indulgentiae sufficerat oratione non posse multa a me mutari; verendum erat praeterea,

ne dum ea rescindere inciperem, quae ad ansam orationi datam et ad hodiernum rerum nostrarum statum pertinerent, in eam suspicionem inciderem, nolle me ea, quae coram de his rebus forte professus essem, etiamnum tueri et ad literae scriptae lucem admittere, sed ea me nunc malle obtegere et tantum non recantare. Hinc rectius visum, eam sequi formam, quam in huiusmodi scriptionibus academicis etiam alibi, a nemine autem ingeniosius quam a summo in hoc scribendi genere artifice, quem magistrum veneror, Henr. Car. Abr. Eichstadio, adhibitam videmus, hoc est opusculo formam orationis academicae non exuere, res vero uberius tractandas, maxime historicas, in adnotatione passim addita supplere, et ita varios enarrationis defectus non quidem tollere, attamen paulum imminuere.

Scripsi Marburgi die XXII. Novembris anni MDCCCXLVI.

Magnifice academiae prorector designate, magnifice procancellarie, patres academiae summe venerabiles, consultissimi, experientissimi, amplissimi, professores excellentissimi, doctores clarissimi, commilitones humanissimi, auditores omnium ordinum honoratissimi!

Quum uno abhinc anno summus academiae magistratus hoc ipso loco mihi demandaretur, et novi muneris felicia omina et auspicia quaererem, votaque caperem, ut in commodum cederet eius academiae, cuius patres suis suffragiis hanc ipsam curam mihi concrediderunt, non adnuere his ipsis precibus meis videbatur is, penes quem est sui numinis afflatu mortales aut secundis rebus reficere et recreare, aut adversis vires, fidem et constantiam eorum examinare; sed a rebus nostris veluti faciem avertisse et eventura velut atris nubibus velasse videbatur[1]). Saepe ego in huius anni decursu nihil magis optavi, quam ut eo tempore falsus essem, omniaque longe secus ac verebar accidissent. Neque diffitendum, quod non fateri ingrati foret animi, magna et gravia bona et nostrae conditionis praesidia etiam hoc anno a Deo benigna

manu nobis esse, sive concessa sive conservata. Servavit hucusque publicam Germaniae communis patriae pacem, servavit incolumitatem Hassiae nostrae, et Augustissimos Principes, potentissimos eius moderatores; servavit rempublicam, ecclesiam, urbem, academiam; servavit nos omnes, inter quos nemo maiores memet ipso ei gratias debet, cui minime quidem libertatem a taedio insuetorum negotiorum et ab aliis erroribus, attamen corporis valetudinem, etiam inter varios stomachi bilisque motus nullo tempore prorsus deficientem, nec non animi quoque aequitatem, his motibus aliisque vexationibus ferendis non minus necessariam, imo pristinae hilaritatis certe reliquias aliquot vel umbras Deus clementer est largitus. Attamen haud scio annon in aliis rebus divina beneficia, quibus salus et incolumitas hominum nititur, hoc anno parcius, atque alio tempore solent, in nos effusa sint. Quando enim non crescunt res humanae, decrescunt; non crevit autem apud nos numerus studiosae inventutis; non crevit exterorum ad nos laetus commeatus, qui languoris et domesticae cuiusdam confidentiae medelam nobis afferret; non crevit mutua omnium concordia et alienus a suspicione et calumnia animus, non compositus neque aliunde unquam perturbatus rerum nostrarum administrandarum ordo, non iunctae per communem operam literariam discentium et docentium vires, et inde nata, neque levioribus vel iniquis studiis accensa et agitata inter utrosque familiaritas. Sed haec omnia et innumeri id genus rerum nostrarum defectus nondum sanati ita sunt comparati, ut non

otiosis querimoniis defleri, sed agendo corrigi debeant. Accesserunt autem iacturae, omni humana medela maiores; ereptos nobis per mortem duumviros lugemus, quorum in locum utut aliunde evocatos viros vel praestantissimos sufficere contingat, quod tamen a multis iam desperari audimus, nunquam tamen successores eorum habebimus, quorum doctrina, studia, virtutes, vires denique et dotes omnes felicius universae nostrae conditioni accommodatae sint, quam illorum, desideratissimi dico Endemanni, et venerabilis senis, Caroli Guilielmi Justi. Horum igitur, quos amisimus virorum, ne prorsus iis destituamur, memoriam certe servare ideoque animo recolere et repetere iam nostrum est. At quum quid Endemannus in iuriscientia docendo et scribendo profecerit a meis studiis latius distet, et quum eius memoria eloquentiori quam meo sermone vobis, Collegae et Cives, iam commendata sit[2]), hanc mihi a vobis veniam peto, ut venerabilis ordinis mei et academiae senioris paucis hodie meminisse liceat, non quod confidam, posse me vitam et merita tanti viri plene et sufficienter coram vobis explicare intra terminos, qui orationi per temporis et oratori per virium angustiam et tenuitatem praescripti sunt, sed ea tantum mente, ut vel leviter degustata et raptim congesta descriptione huius viri pietatis officio quantum in me est satisfaciam, vos qui virum omnes venerati estis benevolos habeam auditores, meique magistratus anno laetiori imagine meliorem finem imponam, quam quae ex sola huius anni ipsius recordatione elici possit.

Tam placidus erat vitae externae Justi nostri decursus tamque imperturbatus variis quae ipsum loco eiicerent vicissitudinibus, ut fere solius Marburgi oppidi mentione et nomine absolvatur. Ibi natus est[3]), ibi literarum tam elementis quam uberiori cognitione imbutus, ibi per quinquaginta et quod excurrit annos muneribus functus, ibi vita defunctus est. Neque inaudita et nova erat haec constantia et circumvagantis mobilitatis impatientia apud gentem eius; nam ad ipsam illam aedem parochialem Lutheranam, cui per tot annos operam suam addixit, etiam avus, atavus, patruus et pater ecclesiastico munere functi sunt. Natus autem anno superioris saeculi sexagesimo septimo mox in ludis publicis, licet eo tempore parcius instructis, attamen ab hodierna studiorum varietate et inde nata praematura puerorum defatigatione adhuc alienis, tam feliciter tamque velociter progressus est, ut linguarum antiquarum elementa recte edoctus quindecim annos natus disciplinae academicae tradi posset. At praeter hos ludos parum fortasse alacri puero in omnibus sufficere idoneos ea animum eius excitaverant, quae hodieque qui Marburgi vivimus, dum alia permulta languent et frigent, quibus hominum ingenia excoli et pectora erigi debent, solatium horumque defectuum supplementum habere cogimur, regionis dico circumiacentis mira amoenitas, et lectio poetarum. Accessit his duobus apud puerum tertia res, gravius etiam humani pectoris torpedinem infringere et sanare solita, nimirum adversae fortunae inopinata experientia; nam paulo ante, quam scholae valedixit, patre praematura

morte orbatus est. Haec tria autem non solum id effecerunt, ut iam in tenera aetate fortius eius animus commoveretur et ad pietatem erga Deum, patriae amorem, et boni pulcrique admirationem excitaretur, sed divitem quoque, qua praeditus erat, venam iam in puero aperuerunt, unde poemata pangendo laetarum rerum laetiorem etiam imaginem et adversarum solatium haurire ei contigit, et huic ipsi arti suae, dum vixit, inhaustam quam celebraret materiam praebuerunt[4]). Ita admodum puer vestigia Bürgeri, Gleimii, Hoeltii secutus, excitante etiam et praeeunte avunculo Engelschallo, tam felicia in arte poetica posuit tirocinia, ut iam tum carmen puer quatuordecim annorum Bürgero dignum sit visum, quod collectioni, qualem ille quotannis Gottingae edere solebat, inseri iuberet; aliud carmen, quo non ita multa post defuncti patris obitum defleret, non solum commoti pectoris non infucatam veritatem, sed etiam maturatum per hunc tantum dolorem ingenium artemque ostendit[5]). Neque huius artis vel maturae gloriae dulcedine et lenociniis, quod nostratibus accidere solet, ita captus et deceptus est, ut seriora studia ob illam negligeret, et labori debitam aetatem in speciosis nugis consumere coepisset; imo ita artem, quam in deliciis habebat, ad graviora studia referre voluit, ut haec per illam non opprimerentur, sed excitarentur, et ut arti rursus idoneam, quam fingeret, materiam suppeditarent. Hoc maxime in illis ei contigit studiis, ad quae in academia mox prae ceteris conversus est, dico in V. T. et poeseos sacrae studio. Non multum per plurimos, quos Marburgi

audivit, magistros profecisse videtur, quamquam in iis, quae de vita sua ipse conscripsit, grato animo eorum omnium refert nomina, conquestus tamen modeste, potuisse hoc tempore Marburgi in non paucis disciplinis non nisi privata opera et lectione profici. Scholis adfuit patrui Leonardi Justi, in cuius domum et familiam patre mortuo a decimo quinto usque ad vigesimum vitae annum adoptatus est, eumque scriptores Graecos et theologiam dogmaticam Döderlino duce exponentem, Pfeiferum N. T. interpretantem, praeterea hermeneuticam, dogmaticam, ethicam et theologiam pastoralem docentem audivit; Tiedemanno in philosophia, Curtio in historia, Schroedero in linguis orientalibus magistris usus est; alios permultos taceo; his autem inter Marburgenses magistros plus ceteris se debere ipse professus est. Plus autem iam Marburgi, quam quos ibi audivit magistros, effecisse fatetur ipse studium librorum Herderi, Eichhornii, Winkelmanni, Mosis Mendelis filii, Engelii, Eberhardi, Jerusalemi, Reinholdi, Eschenburgii, praeterea continuatam lectionem poetarum, Klopstockii, Vossii, Bürgeri, Ramleri, Höltii, Wielandi et summi omnium Goethii; Herderum autem summo semper loco habuit inter omnes eos, qui ad fingendum et excitandum ingenium ipsius aliquid fecerint, et ab eius libris de indole et genio poeseos Hebraicae, eius epistolis de studio theologico, eiusque ideis suam quoque in tractandis literis rationem et methodum universam pendere et derivandam esse grato animo ipse intellexit. Hinc factum quoque, ut quod quasi a maioribus acceptum etiam sibi inde ab infantia elegerat theologiae

studium, et quae mox accesserat poetarum admiratio et imitatio singulari quodam modo apud illum coalescerent, postquam ab Herdero in sacris V. T. scriptoribus poetas quoque admirari, et vice versa ob poeticam eorum praestantiam sacros libros amare et contra excordes obiurgatores defendere edoctus est. Hinc autem simul factum est, ut eas quidem disciplinas theologicas, quas sensum pulcri alere desperabat, inter has tantum non omnem theologiam systematicam cum historia dogmatum et ecclesiae, mature a suis studiis alienas putaret, verum tamen Herdero duce et auspice a ieiuna et frivola theologiam tractandi ratione, a morosa et infesta literas sacras non diiudicandi sed dilacerandi libidine, cui non pauci aequalium ceterum ab ipsius disciplina propius distantes indulgebant, intactus et immunis conservaretur. Quae autem hic propositae ipsi essent laborum et studiorum expetendae imagines et fines felicius quam apud nos in ea academia insequi et amplecti potuit, quam ut prae ceteris eligeret ipsi illi, quos in deliciis habebat, scriptores ipsum monere videbantur. Peracto igitur in patria academia quinquennio, et superato cum eximia laude examine candidatorum sub finem anni superioris saeculi octogesimi septimi annos viginti natus Jenam se contulit, ubi per integrum annum commoratus exoptatissimos viros, Herderum, Eichhornium, Doederlinum, Griesbachium, Reinholdum, Schmidium videre, et plerorumque scholis et familiaritate uti ei contigit. Huius anni tamquam felicissimi temporis cum voluptate etiam senex meminisse solebat, et, utut Hassiacae patriae acer ubique

defensor et admirator erat, tamen academiae patriae Jenensem anteponere, et liberaliorem quendam genium et indolem huic prae illa tribuere non dubitavit [6]). Contigit ei et hoc, quod nunc paucis theologiae studio addictis iuvenibus evenire dolemus, ut post studia academica longa subeundi muneris exspectatione et negotiorum ad tempus susceptorum varietate minime distraheretur et defatigaretur; etenim post unius anni decursum, quo in antiqua summi iudicii imperialis sede, Wetzlariae, in honesta familia paedagogi munus susceperat [7]), anno nonagesimo superioris saeculi in patriam urbem revocatus, et Calendis Augustis a patruo Leonardo Justi subdiaconus ad hanc ipsam nostrae civitatis parochialem aedem Lutheranam initiatus est, cui adhuc praeerat, quum quinquaginta annos post ipsis Calendis Augustis laeta suscepti ab eo muneris ecclesiastici semisecularia celebraremus. Mox autem academicum docendi munus cum ecclesiastico coniunxit; iam enim sequente anno scholas in Veteris et N. T. libros exegeticas et de aesthetica philosophicas aperuit, post biennium etiam professio extraordinaria, et mox eodem anno ordinaria in amplissimo philosophorum ordine ei demandata est. Ita iam hoc tempore eam conditionem, idemque duplex munus adeptus est, quod, dum vixit, cum ullo alio licet honorifice ab exteris ipsi non semel oblato commutare noluit; auctae quidem paulatim sunt dignitates et secundaria munera, quibus ornatus est; ab infimo loco in munere ecclesiastico in summum evectus suffragiisque collegarum in Hassia superiori superintendens eorum

electus, et ab Aug. Electore consilio ecclesiastico et politico eiusdem provinciae additus, neque solum philosophorum sed etiam theologorum ordini, praeterea ordinis Leonis Hassiaci primum equitibus deinde praefectis adscriptus est; sed quamquam omnia haec ornamenta quo erat grato animo non levia censuit, tamen his omnibus plus in externa eius conditione, quam in ipso duplici illo munere suo studiosam iuventutem et coetum evangelicum in hac civitate docendi immutatum est[8]).

Academicae autem professioni, in quo quid profecerit memoria recolere maxime nostrum est, eam, dum vixit, dicavit operam indefessam, ut non solum docendo, sed etiam scribendo summa diligentia ei satisfaceret. Nemo vestrum, auditores, hanc libris edendis impensam industriam alienam habebit ab opera scholis debita; nemo haec et similia vaticinatos suam sive inertiam sive ignorantiam male dissimulare diffitebitur; nemo nostrum ignorat, quanto melius ea, in quibus scribendo aliquantum elaboraverit, etiam docendi peritior redditus sit. Et venerabilis Justi noster quam semper dum inter nos vixit in illo admirati sumus constantiam, quae crescente senectute et mutatis temporibus non cum illis mutari videbatur, etiam eo probavit, ut quorum studiorum amore iam iuvenis et puer captus esset, ea nunquam desereret et cum aliis commutaret, sed in iis tractandis et colendis per totam vitam perseveraret. Neque arctioribus ideo limitibus circumscriptus erat campus, in quo elaborabat; tangebat theologiam, philosophiam, historiam, sed ne in tanto ambitu rerum

nimia varietate studiorum diffflueret, cavebatur hac ipsa mature concepta dilectione singularum quarundam materiarum ex quovis harum trium disciplinarum genere selectarum; etenim, ut iam diximus, ex omni philosophia theoriam pulcri et artium, vulgo aestheticen dictam, ex theologia interpretationem codicis sacri, maxime V. T., ex historia Hassiacae patriae investigationem sibi tractandam elegerat, et de his omnibus scriptorum non exigua copia, de omnibus quoque, excepta historia Hassiaca, scholis habendis optime promeritus est.

Et primum quidem quae prius ceteris ipsi demandata est professionem philosophicam quod attinet, videtur in scholis de aesthetica habitis eos huius disciplinae prae ceteris secutus esse criticos et scriptores, qui hanc scientiam sub finem superioris saeculi primi in Germania excoluere et propagavare, nimirum Lessingium, Winkelmannum, Sulzerum, postea quoque Joannem Paulum Richterum; proderat ei et hic Herderi disciplina, quo praeunte a ieiunis ratiocinationibus mere theoreticis ad ipsius vitae veritatem et laetam varietatem in diversis gentibus et aetatibus explicitam avocabatur, et eo sensu historico imbuebatur, quo non pulcri certam quandam et strictam formam ubique efflagitare, sed in varia specie eius vestigia deprehendere et agnoscere probe edoceretur. Obstabat quoque, quo minus in nimiam regularum et praeceptorum aestimationem incideret, benigna illa vena, qua ad scribendos versus, sive exterorum poemata imitando, sive quae ipsi laeta tristiave evenerant recolendo, ipse a natura excitabatur; hac enim arte sua tam alienae artis virtutem, quam

regularum studiique in componendo utilitatem longe rectius iis, qui in sola critica acquiescunt, expertus est. Ita quoque factum est fortasse, ut per scripta theoretica quo minus de hac disciplina promereretur, non posset unquam a se impetrare; a regula meraque theoria naturali impetu ad vitae usum et praxin avolabat, sed Lessingii haud dissimilis, quem non nisi per criticam ad poesin allectum vel abreptum se esse professum scimus, versibus quos scripsit simul usus est, ut regulam artis sibi rectius informaret, et ut de celerorum plausu securior iis maxime, quos peritos poeseos aestimatores habebat, arte sua satisfaceret [9]). Erat autem haec ars eius aeque aliena ab antiquioris aevi Gottschediani fastu et tumore, commoti pectoris sensus velut infusa gelida aqua exstinguente, quam a nostratium a nimia excitatione nato languore, e quo ut tandem expergefieri possint nil nisi violentiam affectuum, effusamque animi perturbationem admirari videntur. Inter haec opposita mediam aliquam rectamque ingressa viam placida et modesta nostri poetae Musa antiqua illa „mentis sanae in corpore sano" commendatione ubique duci visa est. Aut enim quae ipsi a Deo evenerant (haec autem minime grandia et inaudita erant) grato vel demisso neque tamen desperante animo recordabatur nunc Hoeltii elegiacos modos, nunc hilariores Gleimii secuta, aut ex alienae artis pia et discendi cupida attentione fructum quaerebat nunc Bürgerum nunc Herderum in epicis cantilenis popularibus imitata; semper amori et venerationi satisfacere, semper a sui admiratione et a tenuitate et inanitate quotidianae vitae laeto

volatu liberari et divini spiritus afflatu pasci et ab humo tolli studebat; semper etiam aliena ab ambitiosa et infucata negligentia rebus gravibus ornatam quoque dignamque eorum pondere formam et faciem inducre conabatur, neque aliter commoto pectori se satisfecisse arbitrabatur.

Huic arti optimi viri maxime vicinum erat studium illud, quod ex universa theologia sibi tam scholis quam scriptis tractandum prae ceteris elegerat, recta scriptorum imprimis vatum sacrorum enarratio et interpretatio. Quo tempore sacri interpretis artem primum edoctus est, h. e. sub finem saeculi superioris, iam ad exitum illa properabat aetas, qua etiam vetus testamentum solebat ea adhuc lege explicari, ut alia nulla, nisi quae et inter se et cum formula doctrinae publice receptae consentirent, ex effatis sacrorum scriptorum enuclearentur; ex quo efficiebatur, ut etiam in hac disciplina usus et vetusta consuetudo nimium invalescerent, et quo minus in acceptis a patribus interpretationibus aliquid innovaretur tantum non prohiberent. Secuta est alia aetas, huic quam exceperat longe dissimilis, cui religio erat sacros scriptores ullo alio modo ac profanos tractare, et quae non praeclaras quibus illi excellerent dotes, sed indolem communem, virtutes et vitia gentis Judaicae, non verum sed artem poeticam et literariam, non materiam sed formam in iis investigare suum habebat; dum autem a trita via in inaccessos viridesque campos ad novos fructus carpendos deflectit, novum prae vero amare et nimia festinatione amplecti, linguarumque cognitione

leviter degustata temere non confirmare solebat. Ab hac ratione et methodo etiam Justi propius distabat, ita tamen, ut qua ceterum quoque nunquam destitutus erat moderatione etiam hic uteretur et ab immodico partium studio arceretur. Etenim Herdero et Eichhornio ducibus neque eandem omnibus scriptoribus sacris indolem et doctrinam vindicando historiam deserere eiusque varietatem et periodos negligere, neque contrarium quendam Nestorianismum secutus humanam eorum conditionem et historiam ab altiori quo ferebantur afflatu divellere voluit et nil admirando ad verum perveniri putavit; sed cum Herdero suo tam contra fanaticos admiratores quam contra audaces in calumniando obiurgatores Hebraicae poeseos praestantiam non minus humana ingenii virtute quam spiritus sancti numine splendentem explicare et ad eius admirationem omnes evocare suum habebat. Quo consilio non paucos veteris testamenti libros tam spicilegio adnotationis, ex amplis aliorum commentariis diligenter selecto et sua opera insigniter aucto, quam conversione Germanica, sine ulla vernaculae linguae illata vi iambico metro et mira elegantia adornata, ita illustravit, ut etiam tales iis lectores et cultores conciliaret, qui in legendis poetis nihil, nisi artem et praestantiam, qua recentiores excellerent, et in veteribus nihil nisi similes virtutes quaerere et admirari consueverunt. [10]) Nova quidem erat haec antiquorum monumentorum instauratio et renovatio, et quidni pari modo, ac v. c. Wielandum eodem tempore poetas Romanorum interpretatum scimus, quum recentiorum intellectui omnia

aptius accommodare studeret, antiqui temporis indolem nonnumquam deseruisset et cum sui aevi ratione commutasset? Non enim ut arte poetica excellerent et criticis satisfacerent psalmistae et prophetae grandia verba effundere voluerunt, sed ut Deo et patriae servirent, et ex torpore et languore gentem suam evocarent; non potuit igitur omnis illorum efficacia et praestantia comparatione cum superioris saeculi poetis describi et absolvi, in qua tamen re Eichhornium et Herderum secuti interpretes plurimum elaborabant. Attamen hac quoque explicatione, et simili rerum antiquo illo tempore gestarum cum hodierno statu comparatione opus erat, ut interpretationi sacrae vere historicae via pararetur, et praeterea ut non pauci a bibliorum lectione iam aversi laici denuo ad studium et admirationem poeseos sacrae allicerentur. Similem sensum scholis quoque apud auditores non paucos eum excitasse ipsi non semel grato animo professi sunt; quod haud scio an in hac ipsa Hassia nostra magis sit aestimandum, in qua toties theologiae studium et scholarum theologicarum usus etiam ab iis, qui huic studio sese addixerunt, onus et servitium vix tolerabile habetur. Minus feliciter N. T. interpretationem tractasse videtur, de qua re tamen certum iudicium ferri non potest, quum de hac disciplina scripta non ediderit; testatur autem haec ipsa res, studium exegeticum N. T. poeticam venustatem sectanti interpreti minus placuisse, et post aliorum huic disciplinae impensam industriam infelicius quoque ceteris cessisse, quum in his scriptis plene explicandis quid pulcri, quid suave iis insit investigasse minus sufficiat.

Maiorem operam non scholis habendis sed scriptis edendis tertiae quam mature amare inceperat disciplinae addixit, h. e. illi, quam e vasto historiae campo sibi elegerat, Hassiacae patriae historiae. Non defuerunt ante illum, qui huius historiae materiem diligenter investigarent et amplis voluminibus congererent, inter quos summus locus cui tribuatur prae ceteris dignis videtur Wenckius. At nemo ante Carolum Guilielmum Justi historiam patriae ita enarrare docuerat, ut antiqua hodiernis rebus arctius coniungerentur, ut his ex illis et invicem praeteritis ex praesentibus clarior lux et nitor affunderetur, et ut simul imaginum antiqui temporis admiratione et inde accenso universae patriae amore, quo scriptor flagrabat, lectores etiam vehementius commoverentur, et ita rursus per hunc ipsum amorem ad historiam patriae accuratius disquirendam excitarentur. Quis inter protestantes Hassiae ab eo tempore, quo Philippus Landgravius atavíae ossa haud scio an nimis disquisiverat, usque ad id tempus, quo memoriam sanctae Elisabethae noster instauravit, non intactam reliquerat et ad se minime pertinentem habuerat eius historiam et imaginem, ut vix etiam insigne illud sepulcro eius superstructum monumentum debito honore haberetur? At fere eodem tempore, quo summus Germaniae poeta huiusmodi lapides, dum homines silebant, clamitare iuberet, vel potius dudum frustra clamantium vocem denuo patriae interpretaretur, etiam noster hic ad historiam sanctorum, in qua nihil nisi fabulas et superstitionem protestantes suspicari solebant, novum aditum aperuit, et insigni exemplo ostendit, quam pre-

tiosi fructus, quibus non solum historiae sed etiam patriae amor augeretur, inde in commodum protestantium enucleari possent. Secutae sunt aliae id genus enarrationes non paucae, quibus ex historia si non sanctorum certe patriae similes venerationi et admirationi Hassiae imagines proponebantur. Non defuit quidem in his quoque narrationibus nimia illa antiqui et hodierni aevi comparatio et commutatio, qua haud raro introductos a se homines, v. c. ipsam divam Elisabetham, non nostro tempore vixisse oblivisci videretur; quia autem a vituperandi libidine in utroque tempore diiudicando alienus erat scriptor, etiam ab optima historiam narrandi et scribendi ratione, qua secundum suam propriam indolem unum quodque saeculum intelligi et ut intelligatur aestimari et amari debet, propius quam aequalium plurimi distabat, et novum in historia conscribenda saeculum si non assecutus certe auspicatus est.

Sufficiat his eas disciplinas indicasse, de quibus docendo et scribendo Justi noster maxime promeritus sit. Longum est enarrare, qualem sese gesserit in aliis permultis quae sustinuit muneribus, in concionibus habendis, in iuventute evangelii rudimentis imbuenda curaque animarum coetus sui gerenda, in ecclesiis et scholis Hassiae superioris moderandis, denique in quibusvis officiis erga liberos [11]) et cognatos, amicos et collegas, subditos et praepositos, cives et principes recte explendis [12]). Omnia hic continebantur et expediebantur mira eius humanitate, singulari comitate et benevolentia, inexhausto et fere nimio pacis studio, quo dissimilis eorum, qui

concessum ipsis tenue vitae spatium sine amore perdere et calumnias spargendo et partium studium odiumque, si fieri possit, omnium contra omnes fovendo Harpyiarum instar sibi aliisque devastare non dubitant, tristia et dissona omnia sanare et conciliare et ad felicem exitum laetamque concordiam ducere semper in deliciis habebat.

Videmur iam his duci ad id, cuius causa hic convenimus et haec omnia locuti sumus, hisque omnibus praesenti et proxime imminenti tempori grandiorem, quo erigi possint, imaginem revocare studuimus. Infelicia sunt haec tempora, undique perturbata et conquassata; nihil stabile, nihil certi, quum etiam gravissima vitae humanae concussa vacillent fundamenta, h. e. fides et mutua caritas; hinc tam maiores quam minimi hominum coetus et societates lege et moderatore egent, qui aut legis rigidus et severus sit vindex, aut id efficere valeat, quod longe difficilius nunc est, ex lapideis cordibus amoris et fiduciae scintillulam resuscitare, et superata ita morte per vitam lege et vi non amplius egere. Ego neutrum valui, quae temporum est infelicitas mearumque virium mediocritas; meum tantum est gratias agere Deo et iis omnibus, quorum auxilio et sustentationi quae nihilominus felicius mihi cesserunt ego debeo omnia. Fortiori quam mea hic opus est manu; reperta est vestris, patres, suffragiis, adnuitque Princeps. Quod igitur tanquam ultimum negotium per demandatum mihi summum academiae magistratum nunc mihi peragendum est, et quod felix faustum fortunatumque Deus ter optimus

maximus esse iubeat hoc auspicatissimo die, quo decimo tertio huius saeculi anno ab exterorum servitute Germania in Lipsiensi campo liberata est, Te, Virum consultissimum et clarissimum, Conradum Büchel, iuris utriusque Dr. et P. P. O., successorem meum, prorectorem huius academiae magnificum renuntio atque proclamo, et ab omnibus pro tali haberi volo, iubeo, mando, omniaque iura et privilegia summi huius academiae magistratus in Te confero. Quod ut more maiorum rite fiat, accipe iam insignia novae dignitatis: primum sceptra, collatae olim ab imperatore summisque huius terrae principibus in hanc academiam potestatis signa et nunc reliquias; deinde sigilla, maius et minus, quibus acta Tua publica fidem quoque publicam accipiant; tum claves, quibus omnia academiae penetralia Tibi patebunt; porro statuta, quibus iura ac privilegia nostra fundata et confirmata sunt; denique album, cui civium recipiendorum nomina a te inscribenda sunt, postremo annales, quibus quae laeta tristiave academiae eventura sunt intra magistratus Tui annum posterorum memoriae a Te tradantur. Atque tandem ut Tibi his insignibus ornato reverentiae et obedientiae ab omnibus academiae civibus Tibi debitae primum ego exemplum praebeam, iam cedo Tibi locum digniorem, et novam dignitatem Tuam Tibi, academiae nobisque omnibus ex animo gratulor. Dixi.

Adnotatio.

Inter eos, qui de vita Caroli Guilielmi Justi scripserunt, primo loco nominandus est ipse, qui in historia virorum doctorum Hassiae, a Striedero congesta, Vol. XVIII, p. 270—298, vitae ad annum usque 1819 gestae uberiorem conspectum et librorum hucusque a se editorum indicem composuit. Addidit quae ad proxime secutum tempus usque ad annum 1831 pertinerent, in continuatione, qua hoc ipso anno Strideri opus ipse auxit, p. 320—331; postremo secundo supplemento, singulatim edito, descriptionem ad annum usque 1842 continuavit.

Ab aliis, dum superstes erat, nonnulla de meritis eius conscripta sunt in libellis, quibus anno 1840 muneris ecclesiastici ab ipso suscepti semisaecularia, Calendis Aug. h. a. celebrata ansam dederunt, inter quos Caroli Fr. Hermanni carmen primo loco habendum; liceat etiam attigisse, quae ordinis theologorum nomine eo tempore decanus programmati in hunc finem edito praefari iussus eram. Breves vitae ab eo gestae conspectus collectionibus quoque literariis inserti sunt, quae Lipsiae anno 1839 (Conv. Lex. der Gegenwart Vol. II), Parisiis anno 1844 (Annuaire historique et biographique) prodierunt.

Post obitum eius typis exscriptae sunt orationes, quas in exsequiis tres eius commilitones habuimus, editae Marburgi, typis Elwerti 1841. Accessit concio, qua vir clariss. Vilmar societati pro indaganda historia Hassiaca memoriam Justi, maximo merita eius in hac historia conscribenda, commendavit, edita tam in ephemeridibus huius societatis, Vol. IV, quam singulari libello, inscripto: „Einige Worte zur Erinnerung an K. W. Justi, zunächst in Beziehung auf seine Verdienste um die hessische Geschichtsschreibung," Cassellis 1846.

Qui autem his scriptionibus academicis, in memoriam collegarum compositis, antiquo more sub finem addi solent operum ab iis conscriptorum indices hic rectius omittuntur; tam accurate enim apud Striederum tam l. c. ipsius Justi cura, quam in antiquioribus voluminibus huius collectionis, indo a septimo, exhibentur, ut eos hic in programmate, quo Striederi collectio longe latius propagata est et diutius manebit, repetere non opus sit. Sufficit hic ea adiecisse, quae post tertium Justi ipsius operum suorum recensum, h. e. post annum 1841, ab eo scripta vel edita sunt, et ea addidisse, quae memoratu digna visa sunt inter ea, quae hoc ipso tempore fausta adversaque ei evenerunt.

Anno 1841, LXXIV annos natus, XII prophetis minoribus, quorum nonnullos iam pridem singularibus libris illustraverat, maxime Habacuco, Hoseae, Amoso, Malachiae et Zachariae, novas curas addixit, ut hoc anno et sequentibus integrum de iis omnibus commentarium absolveret. Qui liber, si non posthuma opera a se composita edi omnino vetuisset, prae ceteris profecto dignus esset, qui etiamnum typis exscriberetur. Scripsit quoque aliquot commentariolos, quos ephemeridibus Cassellanis et Gothanis inserendos curavit.

Anno 1842 munere se abdicavit summi scholarum in Hassia superiori inspectoris, quo inde ab anno 1822 functus fuerat, quum summi rerum nostrarum moderatores plus otii petenti admuerent. Eodem anno Geringii, matura morte abrepti, carmina edidit, alterumque illud uberiori vitae suae descriptioni additum supplementum composuit, idem ephemeridibus ecclesiasticis, quae Darmstadii eduntur, nonnulla inserenda tradidit.

Anno 1843, annos natus LXXVI, duo vidit semisaecularia; etenim die XXIV. Januarii h. a. quinquaginta elapsi erant anni, ex quo philosophiae professor extra ordinem, et mense Julio totidem anni, ex quo ordinarius in eodem ordine professor creatus esset. Utramque diem, quam a supremo propius distare intellexit, iterata semisaecularium laetitia celebrari noluit, attamen die, quem diximus, Januarii non solum intra domus et musei penetralia collegarum et amicorum faustum diem et laetam senectutem ipsi gratulantium officia libenter passus, sed insignem quoque Principis expertus est clementiam, qua laetum nuntium afferente viro splendidissimo Carolo

Emilio Henrico, libero barone de Doernberg, tum regiminis Hassiae supepraeside, ex equitibus ordinis Leonis Hassiaci in praefectorum eius numerum evectus est.

Anno 1844 Fr. Leonardus Creuzer, Vir S. V. et de rebus nostris optime meritus, quo per tot annos in munere academico et ecclesiastico collega usus erat, die III. Martii diem obiit supremum, in cuius memoriam et in ipsis exequiis parentavit et postea commentationem conscripsit, quam ephemeridibus ecclesiasticis Darmstadiensibus No. 129 inserendam curavit.

Anno 1845 denuo collega et amico coniunctissimo orbatus est morte Mauritii Beckhaus, die XXII. Februarii hoc ipso anno defuncti, cui post longam et honestam vitam, literis et ecclesiae magna cum laude dicatam, exitus vitae Nostro vehementer improbante tristis et lugubris redditus erat. Huius quoque infelicis amici memoriam in ephemeridibus Casselluunis et ecclesiasticis (No. 87.) posteris commendavit. Attamen laetiora quoque non defuerunt, quae eodem anno ei evenirent; Guilielmo enim filio, quem unum superstitem habebat et iam pridem collegam nactus erat, post Creuzeri obitum suffragiis civium et consensu superiorum in munus ecclesiastae ad parochialem aedem evocato, ipsis Idibus April. Domin. Iubilate, hanc dignitatem cum piis pro salute eius votis publice contulit. Scripsit quoque censuram libri, quem Funckius de cantico Hannae 1 Sam. 2, 2—20 conscriptum Norimbergae 1841, ediderat, diario ecclesiastico Darmstadiensi insertam.

Anno 1846, LXXIX annos natus, iisdem ephemeridibus operam suam dicare non desiit. Incidit in hunc annum illa dies, qua tria post Lutheri obitum praeterlapsa erant saecula, in cuius memoriam die XXII. Februarii de loco S. S. Apoc. 14, 13 iuvenili vigore praeclaram habuit concionem. Quam non ita multo post alia secuta est oratio, qua collegae recens creato, viro pl. rev. Carolo Rauch novum munus cum pia Dei invocatione tradidit, et qua ultimo in aede Lutherana functus est officio sacro. Etenim mox morbo correptus est, primum febri catarrhali, deinde tussi cum nimia sputorum excretione, cui paulatim ingravescenti et virium prostrationem cum diarrhoea efficienti non felix, quam sperabamus, medela, sed supremus dies, VII. Augusti, placidum nec inopinatum ipsi finem imposuit.

Ad pag. 5, not. 1. His verbis ut debitam lucem affundam, et ne quid in hoc genere publice pronuntiatum celare voluisse videar, hanc mihi veniam peto, ut qua illo tempore magistratum academicum auspicatus sum oratiunculam etiam hic apponam. Tam rapidus nunc est temporum decursus, ut quae ante paucos annos evenerunt iam ad remotam antiquitatem pertinere videantur. Hinc quo illo tempore commovebamur rerum nostrarum status adeo iam vario modo immutatus est, ut huius sollicitudinis imagine fere iam pro aliquo exacti temporis illius monumento uti liceat.

Quam dignitatem, quod Deus bene vertat, vestro, patres academiae, beneficio ego iam suscipio, ea nolo statim in vestrum incommodum ita abuti, ut longo sermone aures vestras patientiamque feriam. At temerariae esset levitatis, in ipso limine commissae mihi a vobis provinciae coeli siderumque, sub quibus eam intrare debeo, non meminisse, novique muneris, si modo fieri possit, bona auspicia non quaerere. Haec autem ea est tempestas, in qua (quae mea est mens) de faustis ominibus reperiundis fere nec possim non desperare. Scio quidem, hoc esse morosorum et ambitione senioque confectorum hominum, laudatorem agere praeteriti temporis et obiurgatorem praesentis; scio secundum poetam mundum saeculumque nemini nisi vanis vanum videri; scio et confido, tandem quibus nunc angimur tumultus, fluctus et procellas omnes maiori quam humano beneficio olim summotum et sedatum iri. At interea, quod doleamus licet, dum nimium remotus est hic exoptatus finis, nos status cuiusdam transitorii et intermedii diuturnitate et miseria velut suspensi tenemur et cruciamur; dum nova parturit haec aetas nostra, nos qui eius sumus membra doloribus quidem parturientis implicamur, a nova autem, quam precamur, vita mirum quantum adhuc distamus; dum comburuntur suasu vel opera grassatorum aedificia, in quibus securi habitabamus, patriae serviebamus, Deumque venerabamur, nunc foras in trivia eiicimur, et onusti corrasa raptim sarcina cariisque penatibus sub coeli intemperie exules peregrinari, et sine domus larisque dulcedine et antiquo solatio, sine certo operae nostrae fundamento, vires et annos sine fruge diu perdere cogimur. Nec solum hac mobilitate et varietate vexamur et tantum non conficimur, qua transeuntia et paene volantia huc illuc „fata volentes nos ducunt, nolentes nos trahunt;“ urgent praeterea singulares quaedam huius aevi scilicet virtutes: undique cotidie crescere videntur non antiquus ille gentis Germanicae in summis bonis colendis fervor et ardor, sed ieiuna et impudica in propriis commodis quovis pretio augendis astutia; non pacis et mutuae caritatis desiderium, sed cuiusvis amoris et benevolentiae languor, omniumque contra omnes de iuribus singulorum rauca et dissona altercatio, et

immodica rixandi et in partes discedendi libido; non patriae amor, et diligens et anxia imperitorum arrogantiam arcens de bono patriae sollicitudo, eorumque, quorum intelligentia et virtus in hac cura dudum probata est, debita reverentia, sed novarum rerum studium, et captans auram plebeculae allectae primum per mendacem verborum ambiguitatem mox deceptae caniuum servitium et turpe lenocinium; crescit non religiosus et ab iniquis artibus alienus candor, sed quovis instrumento, quovis medio temere usa industria, longe scilicet a Jesuitarum ratione aliena, verum eandem, ac illi, temeritatem non in maiorem Dei gloriam, sed in patriae perniciem et in commodum sceleris vertere conata; crescit denique non incomparabilis illa stirpis Germanicae modestia et humilitas, et cuiusvis meriti et virtutis admiratio, sed ea in hac corruptione confidentia et impudentia, ea in desperatione summarum rerum securitas, quae non erubescat, pietatem, religionem, fidem gentis Germanicae, evangelium et obsequium inter somnia referre mox evanitura prae face scilicet non seditionis sed veritatis, et tanquam summum humani generis expetendum fastigium aureumque saeculum praedicare statum, alias aeneam prolem indicare creditum, quo dissolutis omnibus et fractis, quae summo loco maiores habebant,

„Victa iacet pietas, et virgo caede madentes
Ultima coelestum terras Astraea relinquit.“

Utinam haec, quam olim dolemus, tenuitas nostra, qua nimium nonnumquam nos distare sentimus a magnis saeculi motibus et vicissitudinibus, in hac re nobis praesidio fuisset, neque ullo modo tacti et affecti essemus hoc universali, quod doleo et vereor, sive malo praesenti, sive imminenti periculo! Certe non decet summum in academia Germanica munus hoc tempore subituram, ut unde mala promanare possint inde temere oculos animumque avertat. Magis autem eius est, quippe qui solus oneri ferendo impar foret, eos precibus adire, sine quorum auxilio et benevolentia etiam in secundis academiarum rebus, nedum in dubiis, nunquam iis bene prospici potest.

Hinc primum ad vos me converto, Patres academiae; nostis me negotiorum, quae me maneant, minime esse peritum; tamen suffragiis vestris in hunc me locum vocastis; iam videte vosmetipsi, „ne mox incutiant aliena vobis peccata pudorem,“ hoc est consiliis et monitis ita mihi succurrite, ut vestro beneficio non prorsus indignus reperiar. Habuistis prorectorem summa in rebus gerendis dexteritate et alacritate conspicuum; habebitis alium, nimium quondam pacis litiumque componendarum studio saepe deceptum, nimia haud raro in consiliis rapiendis dubitatione permotum et concussum; hoc igitur agite, et ita, quod facitis, meae operae, quam spondeo, vestram iungite, ut ne quid detrimenti res nostra, sed laetiora indies, si fieri possit, incrementa capiat.

Deinde ad vos me converto, commilitones. Quis est nostrum tam alienus a rebus nostris tamque degener inter cives academicos, qui libertatem academicam omnibus laudibus efferat, et molestis limitibus, quos detrectatores academiarum clamitant, circumscribi nolit? Nostis autem, quo consilio haec libertas academiis nostris concessa sit. Nulli laetiores honestorum studiorum fructus, nulla profundior, quae antiquum decus est Germaniae nostrae, doctrina, nulla intimae indolis omniumque virium effusa et invicta contentio, nullus non solum bonarum artium verum etiam recti honestique cuiuslibet firmus amor morumque immota constantia, sine hac libertate. Sed qui agrestiam, nugarum studium, puerilem levitatem, pigritiam nondum exuerunt, qui iis quae pestifera sunt in huius aevi studiis aures animumque aperiunt, nedum qui ad flagitia se abripi patiuntur, quantumvis in defendendo honore, quem cum pudore dudum abiecere, tenacissimos sese profiteantur, indigni prorsus sunt hac non nequitiae sed virtuti debita libertate, et hoc efficiunt, ut eversores illi academiarum ludimagistrorum disciplinam illuc revocandam esse multis facilius persuadeant. Hoc igitur agite, commilitones, ne hac debita honestis studiis libertate indigni reperiamini; ita incolumis erit etiam libertas academica ipsa, deliciae nostrae; ita et ipsi optime prohibebitis, ne legum vindicem unquam contra vos agere cogar; ita etiam huius anni, in quo iam arctiori quodam militiae nostrae nexu commilitones iungemur, „olim vos meminisse iuvabit.“

Quod ut ratum fiat denique ad eum supplex me converto, penes quem est, res mortales omnes ad felicem exitum suique regni incrementum perducere. Servet igitur Deus ter O. M. et crescere faciat hanc academiam; servet potentissimos eius nutritores, dominos nostros longe clementissimos; servet omnes eius moderatores, fautores, magistros et cives; liberet nos a funesto fidei et caritatis languore et desperatione; augeat apud nos omnes eas vires eumque animum, eum fervorem et candorem, eam concordiam et sinceritatem, sine quibus quas spiritus sancti officinas maiores esse voluerunt academiae non possunt non everti et corrumpi; denique mihimetipsi eum animum eamque constantiam largiatur, ut exacto magistratus mei anno neque mihi ulla culpa, neque academiae ulla iactura sit dolenda. Dixi.

Ad pag. 7, not. 2. Prodiit Marburgi hoc anno libellus hoc titulo inscriptus: „Memoriam viri ill. et consult. Arminii Ernesti Endemann, J. V. D. et P. P. O., auctoritate et nomine academiae Marburgensis civibus commendat Theodorus Bergk, Ph. D., Philol. P. P. O.“

Ad pag. 8, not. 3. Carolus Guil. Justi natus erat die XIV. Januarii 1767; pater erat Philippus Conradus Justi, natus anno 1728, denatus anno 1782, ad St. Elisabethae pastor primarius; mater erat filia Jo. Christophori Engel-

schalli, qui anno 1697 natus ad annum usque 1753, quo mortuus est, superintendentis coetus Lutheranorum per Hassiam superiorem et ecclesiastae muneribus in hac urbe fungebatur. Eadem munera quoque patruo nostri, Leonardo Joanni Carolo Justi, sub finem saeculi superioris usque ad annum 1800 demandata erant. Cfr. liber, ab unico Caroli Guil. Justi filio, Petro Franc. Guilielmo Georgio, conscriptus et anno 1835 Marburgi editus, cui titulum inscripsit: „Vollständige Reihefolge aller seit der Reformation an der St. Elisabethkirche zu Marburg gestandenen Pfarrer, nebst Nachrichten von dieser Kirche.“

Ad pag. 9, not. 4. Similia et ipse de arte sua eiusque causis professus estin praefatione primae collectorum carminum editionis: „Was meiner jugendlichen Leier die ersten Töne entlockte, das waren die frühen Gräber meiner Lieben, und mein reges Gefühl für die schöne und lebensvolle Natur. Meine kleinen Lieder und Elegien sind die Nachklänge verschwundener trüber und seliger Zeiten. Ferner waren es alte Volksgesänge, Balladen und Romanzen, die durch ihre lieblichen Weisen mir ans Herz griffen, verlorene Ahnungen wieder aufweckten, und mich zu eigenen Versuchen reizten.“

Ad pag. 9, not. 5. Apponamus liceat carmina duo, unum primum illud pueri quatuordecim annorum, a Bürgero in collectione Göttingensi anno 1782 editum, alterum post mortem patris compositum, et Musis Hassiacis Eschstruthii traditum.

„Da kommt er wunderherrlich wieder
Der Lenz, da kommt er her!
Dem Strahl der nähern Sonne starren
Die Bäche nun nicht mehr.

Wie prangt das nahe Waldgebirge
In jugendlichem Grün,
Indessen sich die Schlehenstauden
Mit Silber überziehn!

Ein sanfter Zephyr weht herüber
Der Blüthen süssen Duft.
Lustwandle, meine Seele, denkend:
Gott weht in dieser Luft!“

Alterum inscriptum est: „An den Geist meines Vaters":

„Dort senkt im goldenen Gewölke
Die Sonne sich hinab ins Thal,
Die Pflegerin geheimer Leiden,
Die Schwermut, wandelt still herauf.

Kein Lüftchen weht, und einsam flötet
Die Nachtigall ihr Abendlied;
Schön, wie dein Geist und wie dein Leben
Und still wie beide ist die Flur!

Hier stand ich jüngst an deiner Seite,
O Vater, sah das goldne Licht
Der Sonne, die des Tages Herold
Mildlächelnd ihrem Bett entstieg.

Und las in deinem Auge Wonne,
Und unerklärbar Vorgefühl,
Wenn sich dein Geist mit hellem Blicke
Zum Himmel, seinem Ursprung, hob.

Sahst du entzückt die bessern Welten,
Wo nicht die Sonne untergeht?
Kein Mittag brennt, und keine Wolke
Das Angesicht des Tages deckt?

Jetzt steh' ich einsam hier und weine;
Die Schöpfung um mich her ist öd',
Und eine Freundinn meiner Leiden
Ist selbst die Sonne, — denn sie sinkt."

Ad pag. 22, not. 6. Non mirum, quod Justi noster maxima semper voluptate temporis huius Jenae exacti memoriam recoluerit; quis enim est, cui unquam felicitate academica in hoc incomparabili terrae angulo frui contigit, cui non, dum vivit, quae de patria poeta dicit

„Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Tenet, et immemores non sinit esse sui"

ad hanc almam quoque Jenensem matrem pertinere videantur, quam sub Medicaeorum Germaniae nunquam satis laudandâ tutela et gubernatione aeternae iuventutis flore florentem tertium iam saeculum mox emensam fore omnes qui eius cives fuimus mirifice laetamur! Quod de Germaniae academiis, qui probe eas et Jenensem accuratius ceteris noverat, summus patriae poeta affirmat, „jede der deutschen Akademien hat eine besondere Gestalt, denn weil in unserm Vaterlande keine allgemeine Bildung durchdringen kann, so beharrt jeder Ort auf seiner Art und Weise, und treibt seine charakteristischen Einzelnheiten bis aufs letzte" (Dichtung u. Wahrheit II, 58), hoc in Jenensi academia ita quovis tempore evenisse videmus, ut dum nimio partium studio insignem moderationem, philosophiae odio vel desperationi immotum eius amorem, barbarae et morosae tristitiae urbanitatem et εὐτραπελίαν opponit, his singularibus virtutibus suis haud raro ceteras etiam longe ampliores ab erroribus revocaret et ita de universo literarum statu optime promereri po-

tuerit. Quo tempore Justi noster Jenam venit, imperium terrarum Vimariensium iam tenebat Carolus Augustus, cuius quamdiu literarum Germanicarum aliquid supererit nomen et gloria non peribit; is eo tempore Herderum Goethiumque iam vocaverat Vimariam, Schillerus aut ibidem aut in vicinia commoratus et non ita multo post (1789) Jenam vocatus est; Jenae tunc ephemerides literariae ante duos annos (1785) coeperant edi et Kantianam philosophiam summo studio universae Germaniae commendare et persuadere; profitebantur philosophiam Reinholdus, Erhardus Schmid, Ulricus, theologiam Griesbachius, Döderlinus et Eichhornius, omnes eo tempore nondum imminuto virilis aetatis robore vigentes, et sub Caroli Augusti regimine ea dicendi et scribendi libertate fruentes, quae hoc ipso tempore in Borussia post mortem Friderici Magni (1786) arctioribus limitibus circumscribi coeperat. Hanc coeli Jenensis serenitatem, hanc tam a fastu quam ab agrestia alienam hilaritatem vere academicam, quae in procacitatem et lasciviam nondum ut non ita multo post degeneraverat, Justi quoque illo tempore ex patria academia superveniens primum expertus, et ita eius dulcedine captus est, ut dum viveret grata mente Jenam ceteris omnibus Germaniae academiis anteponere non dubitaret. Contigit ei et hoc, ut plurimorum virorum, qui illo tempore et metropolis et academiae Vimariensis ornamenta essent, familiaritate uteretur, et a nonnullis maxime ab Herdero, qui iam antea scriptis viam ipsi monstraverat, coram quoque ut in his studiis pergeret acriter exciturctur, excepto tamen Goethio, quem his annis Romae degentem nunquam se vidisse postea saepe conquestus est.

Ad pag. 12, not. 7. Wetzlariae liberos educavit viri nobilis de Hoffmann, principi nescio cui in rebus militaribus a consiliis intimis. Quo munere copia quoque ei fiebat, vitam et consortium assessorum huius summi iudicii, legatorum et procuratorum, eorumque non mediocrem confidentiam et gravitatem, de quo suaviter nonnunquam narrare solebat, videndi et admirandi.

Ad pag. 13, not. 8. Adiiciamus his catalogum societatum virorum doctorum, qui socium sibi Nostrum elegerunt: societas archaeologica Cassellana eum recepit anno 1800, latina Jenensis eodem anno, academia pro erudiendis pictoribus Hanoviensis anno 1815, societas Berolinensis studio linguae patriae dicata anno 1816, physica Marburgensis anno 1817, archaeo-

gesimo septimo et proxime secutis, maxime nonagesimo primo. Bis nomen inscripsit Abrahamus Gotthelf Kästner, primum haec verba apponens:

„Mehr als die Lust von allen Eitelkeiten
Ist Schwermuth werth, die uns zum Heil uns kränkt."

et deinde post quinque annos libri possessorem ita allocutus:

„Ein grösser Wohl, als Rang und Gold gewähren,
Hat dir die Huld der Vorsicht zugedacht,
Ein redlich Herz, genügsam im Begehren
Und einen Geist, den Denken glücklich macht."

Eodem anno XCI: eodemque loco, h. e. Goettingae, a Godofredo Augusto Bürgero nihil nisi verba „Wahrheit und Schönheit" nomini suo apposita leguntur. Eodem tempore Jenae Fr. Lud. ab Hardenberg, sub nomine Novalis pluribus notus, nomini symboloque „Alles um Liebe" locum Jacobi philosophia dicit: „Dornen malmen, sie zu Pflaumfedern wühlen, lernte ich lange; und nun weiss ich, dass es für den Menschen eine Lauterkeit des Sinnes, mit ihr eine Kraft und Stetigkeit des Willens giebt, eine Erleuchtung, Wahrheit, Eigenheit und Consistenz des Herzens und Geistes, wodurch ihm der eigentliche Genuss seiner göttlicheren Natur Rück- und Aussicht wird, und wozu niemand gelanget, der nicht mehrmals im äussersten Gedränge von allen ausser sich verlassen war. Holde Mutter Natur, o wie laut sagt mein klopfendes Herz mir da wiederum, dass doch allein auf deinem Pfade wahres Heil zu suchen ist." Fr. Matthisson cum Horatio „coetus vulgares et udam spernit humum fugiente penna;" alio loco „Θῦε ταῖς χάρισι" nostro commendat. Graviora verba Jo. U. a Salis profitetur: „Vollendung ist nicht das Ziel dieses Lebens, aber der Vollendung immer näher kommen ist Zweck für die Thätigkeit einer edeln Seele;" iciuniora, quamquam ex Lessingii fabula Nathan petita, F. G. Gotter: „Dass doch in der Welt Ein jedes Ding so manche Seiten hat, von denen sich oft gar nicht denken lässt, wie sie zusammenpassen!" C. M. Wielandus anno 1798 Vinariae Juvenalis verba facit sua: „Quid dulci voveat nutricula maius alumno Quam sapere et fari quod sentiat?" J. G. Herderus eodem anno et loco: „In allem setze dir das höchste Ziel." Fr. Schillerus anno 1791 Erfordiae duobus foliis nomen inscripsit, et alteri verba Juvenalis addidit: „Summum crede nefas animum

praeferre pudori Et propter vitam vivendi perdere causas," alteri versus aliquot, ni fallor, suos, et nunquam adhuc typis expressos:

„Doch auch die Weisheit kann Unsterblichkeit erwerben
Wie prächtig klingts, den fesselfreien Geist
Im reinen Quell des Lichts von seinen Flecken waschen,
Die Wahrheit, die sich sonst nie ohne Schleier weist,
Entkleidet überraschen!
Um wie viel mehr, als alle Weltbezwinger,
Ist der ein Held, der, tugendhaft zu sein
Sich kühn entschliesst, dem Lust kein Gut, und Pein
Kein Uebel ist, zu gross sich zu beklagen,
Zu weise sich zu freun, — der jede Leidenschaft
Als Sieger an der Tugend Wagen
Befestigt hat und im Triumphe führt,
Den nur sein eigener, kein fremder Beifall rührt."

Sequantur poetas philologi et philosophi. „Cui licet," quaerit Chr. G. Heyne, „in diem dixisse: Vixi?" „Valeat possessor oportet," F. A. Wolf expertus affirmat, „si comportatis bene rebus cogitat uti." „Virtus," inquit Chr. Godofr. Schütz, „est medium vitiorum et utrinque reductum," dum coniux eius, filia Danovii, etiam nostro praecepta quaedam Wielandii persuadere studet. Cuius gener, Carolus Leon. Reinhold, anno 1788 et 1791 nomen adscripsit, primum Kantii magistri legem „Handle nach derjenigen Maxime, von der du wollen könntest, dass sie zum allgemeinen Gesetze würde" etiam hic professus, postea verba Matth. 5, 8. aliquantum aucta amplexus: „Selig sind die reines Herzens sind, denn sie (sie allein) werden Gott schauen." „Nihil esse ab omni parte beatum," anno 1791 conquestus est Tennemannus, professor Marburgensis, mox ex Platonis verbis solatium carpens: „τὸ γὰρ βέβαιον καὶ πιςὸν καὶ ὑγιές, τοῦτο ἐγὼ φημὶ εἶναι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν." Laetiora pro more suo verba alius professor Marburgensis fundit, Jo. Henr. Jung, Stillingii nomine notus: „Unsere Rosenstunden sind uns auf dem steilen Lebenswege erquickende Rasenbänke, wo wir uns zum fernern Klettern ausruhen. Aber auch während wir sitzen, müssen wir nützlich ruhen lernen! Ruhen heisst Kräfte sammeln." Kantianam disciplinam anno 1791 amplectitur Fr. Imm. Niethammer, cum Paulo theologo Heidel-

logica amicorum Daniae ad Danubium anno 1816, Francofurtana pro artium utilium studio excitando, physica Wetteraviensis, Lipsiensis pro lingua et antiquitatibus patriis explorandis, et Paderbornensis pro historia et antiquitatibus Westphaliae indagandis anno 1837, Nassoviensis pro huius terrae historia perscrutanda, regia Danica archaeologica et historico-theologica Lipsiensis anno 1834, Hassiaca pro patriae historiae studio promovendo anno 1835, historica Darmstadiensis anno 1836 et historica Wetzlariensis anno 1839.

Ad pag. 15, not. 9. Solebat noster tam in iis quae de vita sua conscripsit, quam quae in editis a se poematum collectionibus praefatus est vel in adnotatione passim addidit, haud raro mentionem facere iudicum et criticorum, recta et aequa de arte sua iudicia ferre peritorum, seque eorum favori et indulgentiae commendare, ceterorum autem, h. e. universae gentis et patriae Germ., adsensum neque captare neque magni facere videbatur. Haec antiqua poeseos tanquam alicuius scientiae et artis fere ad neminem nisi ad doctos arbitros eorumque censuram pertinentis tractatio haud scio an indolem aevi Ramleriani, nondum a Goethio in longe alium statum immutati, insigniter etiam apud nostrum ostendat. Nunc post Goethium de pretio poematum longe aliter iudicare, neque solum criticorum, sed magis etiam publica omnium suffrágia audire et aestimare consuevimus.

Ad pag. 17, not. 10. Paene dicam, Nostrum haud scio an Eichhornio suo hic quoque duce in hanc sententiam abiisse, ut vix eundem virum linguarum simul peritia et vertendi arte excellere posse putaret, et quasi in bivio relicta illa laude hanc solam artem sibi excolendam elegisse. Ait enim Eichhornius in praeclara illâ vitae et meritorum Dav. Michaelis enarratione: „Für den Sprachgelehrten, den kritisch wägenden und in Lesarten wählenden Literator ist ästhetisches Uebersetzen selten. Matt und abgestumpft von den Sandfeldern der Kritik und Spracherforschung, die er unausgesetzt durchstreifen muss, soll er seinen Geist auf eine freie Weise schwingen, um jeden feinen Hauch des alten Autors in einer neuen Sprache aufzufassen, die in Geist und an Charakter so verschieden ist; Herr und Meister alter Sprachen soll er gleiches Sprachvermögen auch in den neueren Sprachen zeigen, um im Empfinden, Denken, Sprechen seinem Autor gleichen Schritt zu halten; reich und überfliessend von gelehrten Sprachrecherchen soll er sich seines Reichthums

entschlagen und in simulirter Armuth und in Einfalt seine Grösse suchen." „Der sprachgelehrte Ausleger ist eine von dem ästhetischen Uebersetzer ganz verschiedene Person; der erste sammelt Schätze für den letztern, um damit nach seiner Art zu wuchern. Beiden bleibt ihr sicheres Verdienst." Allg. Bibl. f. bibl. Lit. Vol. III, pag. 887.

Ad pag. 20, not. 11. Duo Justi nostro superstites sunt liberi, filius et filia. Filius, vir pl. rev. Petrus Franciscus Guilielmus-Georgius Justi, natus Marburgi d. XXI. Novembr. ann. 1801, ad aedem parochialem in urbe Lutheranam ecclesiastes, duxit Fridericam Carolinam Elisabetham, natam Cassellis o gente Ruppersbergia d. XII. Aprilis ann. 1805, ex quo matrimonio quatuor Nostro prodierunt nepotes: Carolus Nicolaus Henricus, natus d. II. Augusti anno huius saeculi XXXII., Ferdinandus Guilielmus Jacobus, natus d. II. Junii anni XXXVII., Ludovicus Julius Carolus Henricus, natus die X. Maii anni XL., et Friderica Christina Amalia, nata d. XXVIII. Julii anni XLII. Filia, Hedwigis Amalia Elisabetha, nata Marburgi d. VI. Novembr. anni 1806, nupta est viro pl. rev. Ludovico Julio Carolo Schmitt, Theol. Lic. et in hac academia ad aedem Reformatam ecclesiastae, nato Hilmesiae d. V. Febr. anni 1803, ex quo filium suscepit Carolum Guilielmum, natum Kirchheimii d. IV. Augusti anno huius saeculi XXVIII., avo ob celeres in bonis artibus profectus divitemque venam in paucis carum, eiusque vestigia iam feliciter secutum.

Ad pag. 20, not. 12. „Principibus placuisse viris non ultimam laudem" etiam Justi habebat, imo in summis vitae suae bonis et ornamentis referebat. Cuius felicitatis monumenta inter alia exstant libri duo, quibus pro more saeculi superioris viri docti, quos in itineribus visere ei contigit, et nomina et symbola quaedam sua memoriae causa inscripserunt. Iuvat ex his albis, quae venerabilis vidua eius benevole mecum communicavit, specimina nonnulla, quibus et virorum et saeculi quo scripserunt imagini nonnihil lucis affundi videtur, hic apposuisse; neque hac re quidquam committere nos arbitramur quod ipse Justi improbaret, qui hanc clarorum virorum familiaritatem semper maximo honori sibi ducere solebat; quid quod etiam summorum patriae poetarum reliquiae aliquot hic latent et servatae sunt? Collecta autem sunt haec epigrammata fere omnia anno saeculi superioris octo-

gesimo septimo et proxime seculis, maxime nonagesimo primo. Bis nomen inscripsit Abrahamus Gotthelf Kästner, primum haec verba apponens:

„Mehr als die Lust von allen Eitelkeiten
Ist Schwermuth werth, die uns zum Heil uns kränkt."

et deinde post quinque annos libri possessorem ita allocutus:

„Ein grösser Wohl, als Rang und Gold gewähren,
Hat dir die Huld der Vorsicht zugedacht,
Ein redlich Herz, genügsam im Begehren
Und einen Geist, den Denken glücklich macht."

Eodem anno XCI: eodemque loco, h. e. Goettingae, a Godofredo Augusto Bürgero nihil nisi verba „Wahrheit und Schönheit" nomini suo apposita leguntur. Eodem tempore Jenae Fr. Lud. ab Hardenberg, sub nomine Novalis pluribus notus, nomini symboloque „Alles um Liebe" locum Jacobi philosophia dicit: „Dornen malmen, sie zu Pflaumfedern wühlen, lernte ich lange; und nun weiss ich, dass es für den Menschen eine Lauterkeit des Sinnes, mit ihr eine Kraft und Stetigkeit des Willens giebt, eine Erleuchtung, Wahrheit, Eigenheit und Consistenz des Herzens und Geistes, wodurch ihm der eigentliche Genuss seiner göttlicheren Natur Rück- und Aussicht wird, und wozu niemand gelanget, der nicht mehrmals im äussersten Gedränge von allen ausser sich verlassen war. Holde Mutter Natur, o wie laut sagt mein klopfendes Herz mir da wiederum, dass doch allein auf deinem Pfade wahres Heil zu suchen ist." Fr. Matthisson cum Horatio „coetus vulgares et udam spernit humum fugiente penna;" alio loco „Θῦε ταῖς χάρισι" nostro commendat. Graviora verba Jo. U. a Salis profitetur: „Vollendung ist nicht das Ziel dieses Lebens, aber der Vollendung immer näher kommen ist Zweck für die Thätigkeit einer edeln Seele;" leniora, quamquam ex Lessingii fabula Nathan petita, F. G. Gotter: „Dass doch in der Welt Ein jedes Ding so manche Seiten hat, von denen sich oft gar nicht denken lässt, wie sie zusammenpassen!" C. M. Wielandus anno 1798 Vinariae Juvenalis verba facit sua: „Quid dulci voveat nutricula maius alumno Quam sapere et fari quod sentiat?" J. G. Herderus eodem anno et loco: „In allem setze dir das höchste Ziel." Fr. Schillerus anno 1791 Erfordiae duobus foliis nomen inscripsit, et alteri verba Juvenalis addidit: „Summum crede nefas animum

praeferre pudori Et propter vitam vivendi perdere causas," alteri versus aliquot, ni fallor, suos, et nunquam adhuc typis expressos:

„Doch auch die Weisheit kann Unsterblichkeit erwerben
Wie prächtig klingts, den fesselfreien Geist
Im reinen Quell des Lichts von seinen Flecken waschen,
Die Wahrheit, die sich sonst nie ohne Schleier weist,
Entkleidet überraschen!
Um wie viel mehr, als alle Weltbezwinger,
Ist der ein Held, der, tugendhaft zu sein
Sich kühn entschliesst, dem Lust kein Gut, und Pein
Kein Uebel ist, zu gross sich zu beklagen,
Zu weise sich zu freun, — der jede Leidenschaft
Als Sieger an der Tugend Wagen
Befestigt hat und im Triumphe führt,
Den nur sein eigener, kein fremder Beifall rührt."

Sequantur poetas philologi et philosophi. „Cui licet," quaerit Chr. G. Heyne, „in diem dixisse: Vixi?" „Valeat possessor oportet," F. A. Wolf expertus affirmat, „si comportatis bene rebus cogitat uti." „Virtus," inquit Chr. Godofr. Schütz, „est medium vitiorum et utrinque reductum," dum coniux eius, filia Danovii, etiam nostro praecepta quaedam Wielandii persuadere studet. Cuius gener, Carolus Leon. Reinhold, anno 1788 et 1791 nomen adscripsit, primum Kantii magistri legem „Handle nach derjenigen Maxime, von der du wollen könntest, dass sie zum allgemeinen Gesetze würde" etiam hic professus, postea verba Matth. 5, 8. aliquantum aucta amplexus: „Selig sind die reines Herzens sind, denn sie (sie allein) werden Gott schauen." „Nihil esse ab omni parte beatum," anno 1791 conquestus est Tennemannus, professor Marburgensis, mox ex Platonis verbis solatium carpens: „τὸ γὰρ βέβαιον καὶ πιςὸν καὶ ὑγιὲς, τοῦτο ἐγὼ φημὶ εἶναι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν." Laetiora pro more suo verba alius professor Marburgensis fundit, Jo. Henr. Jung, Stillingii nomine notus: „Unsere Rosenstunden sind uns auf dem steilen Lebenswege erquickende Rasenbänke, wo wir uns zum fernern Klettern ausruhen. Aber auch während wir sitzen, müssen wir nützlich ruhen lernen! Ruhen heisst Kräfte sammeln." Kantianam disciplinam anno 1791 amplectitur Fr. Imm. Niethammer, cum Paulo theologo Heidel-

5 *

bergensi ex omnibus, quorum hic nomina leguntur, fere solus superstes, Kantium enim cum Pascalio ita comparat: „Nous avons une impuissance à prouver, invincible à tout le dogmatisme (Kants Kritik der reinen), nous avons une idée de la verité, invincible à tout le pyrrhonisme (Kritik der prakt. Vernunft)." Ex Halensibus „die Vernunft richtet Alles" Lud. Henr. Jacob docet, et „nil admirari" iubet Jo. Aug. Eberhard; ex Goettingensibus Jo. Ge. Henr. Federum antiquum illud „sola bona quae honesta" professum legimus, Aug. Lud. Schlözerum Lucani verba „Ignavum est rediturae parcere vitae," Lud. Tim. Spittlerum praeceptum S. S. „Gutes thun und nicht müde werden," Ge. Chr. Lichtenbergium hoc distichon amplexum videmus: „Innatum est cunctis sublimia plurima scire Utque scias brevis est regula: scire velis." Fortiter quoque, quae inclytae huius gentis ratio est, Ernestus Platnerus, Lipsiensis philosophus affirmat: „Handeln ist mehr werth als glauben," et similiter Salzmannus, paedagogus Schnepfenthaliensis, quaerit: „Was ist so gross und schwer, das du nicht kannst bewirken, du des Allmächtigen Ebenbild?" Permultos denique hic deprehendimus theologos, quorum symbolae quantum a superiore nostrum iam distet saeculum haud scio an omnium maximo ostendant; etenim fere omnes veri rectique amorem, animi candorem et fortitudinem, caritatem et pacis studium, ne multa summas ethices ideas et expetendos fines maximo studio exprimunt et celebrant, de ecclesia autem, de fragilitate humana in cognoscendo vero et peragendo recto, de Christo altum inter omnes silentium. Goettingenses theologi adsunt quinque: Jo. Petrus Miller „Οἴδαμεν," inquit cum Paulo, „ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν;" Jo. Fr. Schleusner: „Non scholae sed vitae discendum;" Jo. Car. Vollborth: „Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus;" Godofr. Less et Theoph. Jac. Planck „Ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ" cum apostolo suadent. Totidem Jenenses accedunt, totidemque Halenses: Jo. Jac. Griesbach idem quod Planckius et Lessius dictum amplectitur; Jo. Godof. Eichhorn „μένε, ait, ἐν ᾧ ἕστηκας;" Jo. Chr. Doederlein: „Schöpfe tief oder gar nicht;" H. E. G. Paulus, ex his omnibus Heidelbergae solus superstes, „ἔσται πάντα καλῶς" non immerito confidit; Car. Chr. Ehrh. Schmid: „Wahrheit, Schönheit, Güte, drei Ideale, deren Keime unzerstörbar im menschlichen Gemüthe liegen; sie zu denken, ihnen

nachzustreben ist die erhabenste Würde und Bestimmung des Menschen; wer jemals meinte, die erste erkannt, die zweite gefunden, die dritte geübt, sie alle erreicht zu haben, der müsste glauben ihm sei es gelungen die Kluft zwischen dem Endlichen und Unendlichem zu überschreiten.“ Halenses sunt Jo. Sal. Semler, cuius nomini et symbolo anno 1788 paulo ante obitum adscripto, „Wer den Willen Gottes thut bleibt in Ewigkeit“ noster non multo post verba adiecit: „Friede der Asche dieses ersten Theologen;“ deinde Jo. Aug. Noesselt, qui „τιμῆς ἠγοράσθητε,“ monet, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων;“ post hunc Ge. Chr. Knappius „Deum satis coluit,“ expertus credit, „quisquis imitatus est, „et „wir leben nicht allein für diese kurze Zeit,“ inquit Aug. Herm. Niemeyer; quibus vicinum addere liceat Carolum Fr. Bahrdtium, non multum solatii in Juvenalis verbis „homo Diis carior quam sibi“ exprimentem. Ex Lipsiensibus Sam. Fr. Nath. Morus unicam sed gravem vocem „constantia,“ Jo. Rosenmüllerus verba Luc. 10, 20., Car. Aug. Gottl. Keil Eph. 4, 15. nomini adscripserunt. Ex Marburgensibus Jo. Jo. Jac. Pfeifferus „pietatem ad omnia utilem esse,“ profitetur, Car. Guil. Robert, a theologorum scholis in JCtorum castra se trahi passus cum Montesquievio affirmat: „La force du principe entraine tout;“ A. J. Arnoldi „simplex sigillum veri“ esse sibi aliisque persuasus est. Accedunt alii non pauci, ex quibus Jo. Fr. Chr. Loefflerum („τὸ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν“) Jo. Benj. Koppium („πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε“) et C. Daubium, Heidelbergensem postea theologum, anno 1786 theologiae candidatum Marburgensem, Miltonii verba professum („Erschaffener Wesen Betrachtung bringt näher und näher uns Gott“) nominasse sufficiat.



